

## CAPUT XXIV.

## DE THEOPHILO.

**T**heophilus Senensis in Casino sub Angelo Sangrino Abbate Monachus factus est, vir ingenio perspicax, in scientiis valde eruditus, verum in Philosophia, Mathematica, & Theologia doctissimus, aded ut suis temporibus in Congregatione nostra Casinensi admirabilis haberetur. Floruit temporibus nostris, & adhuc vivit. Hic bis vocatus à Romano Pontifice fuit, ut ejus opera in quibusdam Ecclesiasticis negotiis uteretur. Edidit tractatum de nova restitutione Calendarii.

## ANNOTATIO.

**T**heophili Martii nobilis Senensis meminit Petrus Recordatus hist. Monastica. Romæ in Basilica S. Pauli Pœnitentiæ ministris Pontificiis à Gregorio XIII. adscriptus legitur. De ejus laudibus scripsit Fr. Isidorus Ugurgieri Azolinus Ord. Præd. lib. cui nomen præfixit: Pompe Sanesi tit. 21. pag. 667. Extat apud nos tractatus MS. de Reformatione Calendarii, incipit: *Magna quidem aggredi laudabile est.* Obiit Casini Anno 1586.

## CAPUT XXV.

## DE BENEDICTO.

**B**enedictus Capuanus in Casino sub Angelo Sangrino Abbate Monachus susceptus est, vir discretus, & valde eruditus in divinis & humanis literis. Verum in scribendis carminibus in materna lingua Poëta insignis, & nostris temporibus admirabilis. Edidit librum unum carminum materna lingua, in quo martyrium D. Agnetis, Agathæ, Luciæ, Justinae, & Catharinæ decantat. Scripsit quoque eadem lingua & metro tractatum de cogitatione mortis: Triumphum Martyrum, Confessorum, & Virginum: librum unum piorum carminum diverso metri genere. Extat etiam ejusdem Tragœdia Jephthæ Ducis Israëliti populi. Scripsit & Commentaria in Dantem Poëtam. Edidit quoque librum unum epistolarum materna lingua. Floruit temporibus nostris, & adhuc vivit.

## ANNOTATIO.

**C**laruit Benedictus Anno Dom. 1570. Originem ducens ex nobili familia de Uva. Passionibus Sanctarum Agnetis, Agathæ, Justinae, & Catharinæ typis cusæ sunt Florentiæ Anno 1587. in 4. sicuti Jephthæ Tragœdia.

## CAPUT XXVI.

## DE JOHANNE.

**J**ohannes Evangelista patria Neapolitanus, & nobili Mormilliorum familia oriundus, Monachus in Casino ab Ignatio Neapolitano susceptus est. Vir ingenio perspicax, & divina, & humana eruditione valde instructus. Verum in verificandi scientia antiquis per omnia comparandus. Scripsit quamplurimos tractatus. Librum scilicet, in quo continentur præcipuæ Domini festivitates, vario metri genere illustratæ. Librum de laude Gloriosæ Virginis Mariæ, in cujus calce ejus Psalterium elegiaco carmine concinitur. Librum, qui nonnullorum Sanctorum vitas, hymnosque vario carminum genere continet. Extat & alius ejusdem liber carminum, in quo illa præsertim opuscula continentur; De insigni Christianorum victoria contra Turcas temporibus Maximiliani Imperatoris, & Pii V. Pontificis Max. De laudibus Casinensis Juventutis: Ibidemque liber Odsarum appenditur, & in fine continetur liber Tristium, ubi suas, & amicorum ærumnas elegiacè decantat: sunt & quatuor ejusdem Eclogæ. Scripsit præterea innumera Epigrammata. Edidit quoque declamationes & sermones aliquot, homilias duas prosa oratione. Item expositionem in epistolam Divi Pauli ad Romanos: & in librum Peribermeniæ Aristotelis. Materna autem lingua quamplurima pia carmina de laudibus Gloriosæ Virginis Mariæ, & usque in præsentem diem scribit.

## ANNOTATIO.

**S**cripsit etiam de Sancta Febronia Virg. & Martyr. versus, qui habentur impressi Romæ 1589. una cum operibus Prosperi Martiniengii. Memorata opuscula MSS. uti etiam multa alia, se legisse testatur lib. 2. Lign. vit. pag. 430. Arnoldus Wion, dum Casini morabatur. Meminit & Possevinus in suo Apparatu. Clarecebat Anno 1590.

## CAPUT XXVII.

## DE THOMA.

**T**homas ab Ebulo, Casinensis Monachus, sub Angelo Sangrino Abbate factus est. Vir prudentia & ingenio insignis: In Philosophia, & divinis Scripturis doctissimus. Scripsit librum Synodalium: Librum examinis Confessorum, & promovendorum ad